

DIVI LAURENTII

IUSTINIANI, PROTOPA-
TRIARCHAE VENETI,

Lignum vitæ.

Ex Hieronymo Paulo

P R A E F A T I O.

Genes. 2.



Plantauerat dominus Deus paradysum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat. Ipse verò decretū domini paripendens; mulieriq; cōsentiens, factus est mandatorū Dei prauaricator: ex quo multarum effectus est particeps erumnarum. Insuper de eodem deliciarum loco: in quo honorificè fuerat collocatus, cum dedecore maximo eiectus est: vitæque priuatus est inuitus: quam pro voluntate possidebat, lumen quoque mētis: quod perspicue perceperat, per quod Dei, sui ipsius, naturæque notitiam habebat, pro magna parte amisit, & præminentiam obedientiæ: qua cuncta ei animantia subiecta erant, perdidit. Sicque miser variis circūdatus calamitatibus, vnde obtemperatio potuit angelicis spiritibus associari: inde trāgrediendo corruit in brutorum opera, & qui vt Deus sic voluit, iumento peius prostratus est. Sic nimirum debuit mulctari humana præsumptio. Sic iustum vt puniretur vana elatio, qua dum metas naturæ transgredere voluit, amisit concessa, & dum diuinis noluit subdi legimus, alitricta est carnis passionibus. O cæca elatio, ò vana præsumptio, nūquid cōditori æquabitur creatura, aut proprio arbitrio deificabitur homo. An non præuidit ratio, cognouit intellectus, hoc non esse æquum. Quare posteritatis damna non considerasti, cur beneficiorum munera perdere non es veritus. Tuo crimine progenies tua vulnerata est ò Adā, tuo scelere humana est deteriorata conditio, & hominum genus diri per te tyranniseruitio mancipatum est. Inde infirmitates, hinc lacrymæ, gemitus, dolores, labores, seruitus, rixæ, cōtentiones, auaritiæ, luxuriæ, & quicquid Deo aduersatur, est luxum est. Breuis fuit consensus, sed calamitas diuturna. Et quis potest fari multifarias pressuras, quæ mortalibus irrogatæ sunt per te ò protopaterens noster. Multum tibi debemus, quod occasione tui conditi sumus, sed (proh dolor) plus est, quod per te perditum sumus. Nihil nasci profuisset, nisi ab æterno liberaremur exitio. Gratias agamus igitur Deo & domino Iesu, qui per carnem, quam de tuo assumpsit semine, in pristinam nos reparauit gloriam, imò longè sublimiorem. Nam in ipso nobilitate est natura nostra, & supra angelicam euectæ est ad dignitatem. Nunquam ad thronum peruenisset dignitatis, nisi per verbi incarnationem. Per se nequaquam restitueretur, nec ad cœli perueniret gloriam. Ipse verò vni genitus Dei filius nostra accipiens, munificè largitus est sua. Ipse humilitate sua immanissimè à nobis iugum exculsit exactoris. Idem dominus spiritualem plantauit Paradysum, sanctam videlicet Eccle-

siam, vt illic perditum hominem collocaret: quam vt plantaret, mundaret, sanctificaret, & perficeret, descendit à regalibus sedibus tradens semetipsum, & effundens pro dilectione ipsius proprium cruorem. Struem lapidum composuit ad eius cultodiam, choros scilicet angelorum. Inseruit in ea arbores & ligna, id cœlestia sacramenta, quorum alimento nutriantur, qui illic collocandi sunt. Lignum etiam scientiæ boni & mali ibi posuit, videlicet sacra eloquia. Egreditur quoque de loco voluptatis fluuuius, scilicet gratia spiritus sancti, ad irrigandam hanc paradysum, in cuius fluminis medio positum est lignum vitæ. Hoc est sanctum donum timoris Dei permanentis in seculum seculi, & afferentis fructus duodecim, de quo legitur sic Apocalypsis vltimo, Et ostēdit mihi fluuuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentē de sede Dei viui & agni, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per singulos menses, reddens fructum suum & folia ligni ad sanitatem gentium. O preciosum lignum, ò lignum saluiferum, quod de medio fluminis oriri dicitur, illius vti que de quo canit Prophetas, Fluminis impetus latificat ciuitatem Dei. Nemo enim sanè intelligentium ambigit, donum timoris speciale esse donum spiritus sancti, sicut Esaias testatur. Et repleuit illum inquit (scilicet dominū Iesum) spiritus timoris domini, vnde rectè tanquam à spiritu viuificante procedente timore sortitur nomen ligni vitæ idē timor, cuius radix sancta est, quia in fide vnus & veri Dei fundatum est. Cuius fructus memorantur esse duodecim, quia licet omnes virtutes in ipso permanent, & sine ipso esse non possint, duodecim tamen specialiter sunt virtutes, quæ in ipso viuificantur & crescunt, scilicet continentia, prudentia, iustitia, caritas, patientia, obediētia, spes, perseuerētia, paupertas, sobrietas, humilitas, & oratio, siue cōtemplatio. Quæ virtutes tribus ordinibus distinctæ sunt, quia triplici statui conueniunt, & per ipsas quilibet illorum ad perfectionem perducitur. Tria nanque militantium genera, vique regna cœlorum diri pientium in hac militanti Ecclesia, & in hac spirituali paradiso esse perspicuum est, præidentium scilicet certantium in stadio subiectionis, & quiescentium, quorū sicut distincti sunt status, ita & eorū statuum virtutes, quibus ad perfectionem gloriose perueniunt. Vnicuique nempe ipsorum quatuor virtutum exercitiis pollere necessarium est, vt perfecti sint, & ex ipsis velut quibusdam fructibus saginari & crescere, vt ad virilem spiritus valeant transcendere plenitudinē. Quum enim in hac vita nil laboriosius sit præidentium officio, & apud Deum nihil beatius, si eo modo militēt, quo noster iubet Imperator Christus, studeat qui in illo gradu positi sunt, prius sui animi, necnon & corporis non rectos appetitus sub iugo

Psal. 45.

Laur. Iustin.

a

con